

solo casu valde extraordinario, quo episcopus deficiente quarta conditione, id est, ante matrimonium dispensare potest juxta dicta a n. 62.

509. *Et an possit super impedimento dispensare? et super quo possit?* — Præterea debet videre, an impedimentum sit tale, super quo concurrentibus allegatis num. præced. conditionibus dispensare valet episcopus. Potest autem episcopus concurrentibus dictis conditionibus pro solo foro interno dispensare super quovis impedimento, super quo etiam absque his conditionibus dispensare potest, et solet sacra Pœnitentia juxta dicta superius, quæ sacra Pœnitentia super quovis impedimento occulto jure duntaxat ecclesiastico dispensare potest, et solet, excepto impedimento etiam occulto consanguinitatis in primo et secundo gradu inæquali juxta dicta supra num. 419, super quo proin neque episcopus dispensare poterit, quantumvis magna, et urgens adsit necessitas, bene vero super cæteris, accedente præsertim universali consuetudine et praxi, qua videmus, quod sicut sacra Pœnitentia, ita etiam episcopus (concurrentibus præfatis conditionibus) dispensare solet pro foro interno etiam super primo gradu affinitatis tam in recta, quam in transversa linea v. g. quod quis contrahere possit matrimonium cum filia, cujus matrem prius fornicarie cognovit.

510. *Dispensatio potest oretenus peti et dari.* — Resp. II. Quamvis dispensatio pro solo foro interno apud episcopum, vel ejus vicarium generalem (si hic desuper habet speciale mandatum juxta § I, n. 34.) oretenus procurari, sollicitari, et etiam oretenus dari valeat (dummodo requisitæ conditiones adsint) tamen ordinarie loquendo longe securius et consultius est, indeque merito suadet, ut episcopus, vel vicarius generalis sollicitationes oretenus factas pro dispensatione etiam pro foro interno super impedimenti occultis non suscipiat, sed sollicitanti dicat, ut memoriale, seu supplicationem expressis in ea necessario exprimendis offerat, fore deim, quod rectum videbitur. Ratio primæ partis est: tum quia scriptura non est de essentia dispensationis juxta dicenda infra num. 520. Tum quia ita habet passim vigens consuetudo nonnullarum curiarum episcopaliū, quæ deficientibus cæteris in hoc tribueret jurisdictionem arg. c. *Duo simul. de Offic. Ordinar. et c. Cum contin-*

gat, 13. de foro competenti, dictumque est amplius lib. I, tit. II, a num. 471.

511. *Sed non expedit.* — Ratio secundæ partis est, quia periculosum est, dispensationem concedere, nisi casus et preces prius bene perpendantur, iisque justis repertis, dispensationi clausulæ debitæ apponantur, atqui neutrum horum commode fieri potest, si oretenus tantum, et non in scriptis pro dispensatione supplicatur; tum quia in supplicatione verbali sæpe vel non omnia, vel non debite, et sufficienter proponuntur, vel rite proposita non semper bene percipiuntur, vel bene percepta oblivione ex parte iterum delentur, consequenter dispensationem nonnunquam penitus invalidam, vel non debite clausulatam secum trahunt.

512. Et certe si ad supplicationem solum oretenus factam, statim oretenus etiam, et quasi ex tripode datur dispensatio ab episcopo, debitæ clausulæ et pœnitentiæ impositio, aut non possunt, aut non solent adhiberi, et per episcopum adhibitæ, vel non satis capiuntur, vel e memoria iterum elabuntur, vel alias non observantur, non sine nullitatis multiplicis periculo.

513. *Quando apud episcopum petitur dispensatio, quænam exprimi debeant?* — Quæritur VI. Quomodo supplicatio in praxi formari? et quænam in illa exprimi debeant, quando apud episcopum sollicitatur dispensatio super impedimento occulto pro solo foro interno? Item quæ omissio? falsitas? vel error vitiet, et annullat dispensationem episcopalem? Resp. I. In tali supplicatione debent exprimi omnia, quæ exprimenda sunt in supplicatione, qua pro solo foro interno petitur dispensatio apud sacram Pœnitentiam juxta dicta n. 421, quorum aliquid, si omittatur, obreptitia, et nulla censetur gratia per dicta cit. n. 423. et seq.

514. Ulterius debet casus ita proponi, ut intelligat episcopus, concurrere in illo conditiones ad dispensandum requisitas juxta dicta n. 508.

515. *Et quis error, vel falsitas vitiet?* — Resp. II. Eadem falsitas, et error in precibus oblati, qui vitiat, et annullat dispensationem sacre Pœnitentiæ, juxta dicta num. 423. vitiat, et annullat etiam dispensationem episcopalem pro solo foro interno; quia utrobique est eadem ratio, consequenter eadem legis dispositio: arg. I. *Non possunt ff. de legib.*

516. *Modus supplicandi sacre pœnitentiæ et episcopo ad obtinendam dispensationem pro solo foro interno est fere idem.* — Resp. III. Quamvis nulla certa forma, seu modus, et stylus formandi supplicationem offerendam episcopo ab obtinendam dispensationem pro solo foro interno sit necessarius, sed sufficiat, si necessario exprimenda clare, breviter, et reverentialiter proponantur, tamen optime, et securissime faciunt sollicitantes, si utantur modo et forma apud sacram Pœnitentiam recepta juxta formulas n. 426, allegatas; ita tamen, ut exprimenda ita exprimant, quatenus ex illis clare intelligat episcopus, concurrere conditiones requisitas ad dispensandum, videlicet. 1. Impedimentum esse revera occultum. 2. Matrimonium actu jam contractum, et quidem bona fide, præmissis denuntiationibus in facie Ecclesiæ. 3. Adesse gravem causam, seu necessitatem. 4. Et quidem urgentem, ita, ut non patiatur moram seu dilationem (v. g. ob periculum incontinentiæ, quod ordinarie adest per dicta n. 54.) donec dispensatio Roma a sacra Pœnitentia veniat, uti patet ex sequenti formula.

517. *Formula hujusmodi.*

Formula supplicationis pro obtinenda apud episcopum dispensatione super impedimento occulto pro solo foro interno.

« Reverendissime ac celsissime S. R. I. princeps, domine domine clementissime.

« Exponitur humiliter celsitudini suæ pro parte devotæ illius oratricis (additur fictum nomen v. g.) Titia, diocesis Frisingensis (nota addendum esse nomen diocesis, quia cum oratore alterius diocesis episcopus dispensare nequit; non item parochiæ, ut crimen omni possibili modo maneat occultum quod) ipsa ignara impedimenti præmissis denuntiationibus in facie Ecclesiæ bona fide contraxerit matrimonium, illudque successive consummaverit (si proles etiam exinde habetur, additur v. g. suscepta etiam exinde prole), cum viro, a cujus fratre vel filio antea fornicarie erat cognita. Cum autem dicta oratrix ob affinitatis impedimentum ex prædictis proveniens, quod occultum est, in eo matrimonio remanere non possit absque dispensatione: et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala ve-

rosimiliter orientur, cupit a præmissis, de quibus summe dolet, absolvit, et secum super impedimento ad remanendum in dicto matrimonio dispensari. Quare celsitudini vestræ humillime supplicat, ut super his de opportuno remedio clementissime providere dignetur, eo quod absque periculo incontinentiæ, vel gravis infamiæ dispensatio Roma expectari non valeat. »

Vel brevius ad imitationem formulæ supra num. 428, positæ.

« Reverendissime ac celsissime S. R. I. princeps, domine domine clementissime.

518. « Titia diocesis Frisingensis, ignara impedimenti, in facie Ecclesiæ, et præmissis denuntiationibus bona fide contraxit matrimonium cum viro, a cujus fratre, vel filio prius carnaliter fuit cognita. Quare cum absque scandalo separari non possint. et donec dispensatio Roma adveniat. periculum incontinentiæ aut gravis diffamationis interveniat, putativo marito impedimenti inscio, supplicat humillime pro dispensationis remedio super hoc impedimento, quod est penitus occultum. »

Pariter formari possunt aliæ supplicationes in aliis casibus supra.

Formula supplicationis pro dispensatione competente episcopis ante matrimonium in casu extraordinario juxta dicta supra n. 62.

« Reverendissime, etc.

519. « Titius diocesis Frisingensis, postquam Caiam carnaliter cognovit, ignarus impedimenti contraxit sponsalia de futuro cum Caiæ sorore, et ad nuptias publice celebrandas jam determinavit diem, convivium indixit, vestes nuptiales, cunctaque alia præparavit, hospitibus etiam plurimis invitatis. Quare cum impedimentum sit penitus occultum, et donec dispensatio Roma adveniat, nuptiæ absque diffamationis ex variis suspicionibus proveniente periculo differri nequeant, supplicat humillime Celsitudini Vestræ pro clementissimo dispensationis remedio. »

520. *Juxta aliquos potest episcopus pro foro interno oretenus dispensare.* — Quæritur VII. Quomodo in praxi per episcopum concedi

et expediri possint, ac debeant dispensationes super impedimentis occultis pro solo foro interno? Resp. I. Quamvis, ut supra n. 510, jam diximus, sicut apud episcopum oretenus peti, ita etiam ab eodem episcopo oretenus concedi valeat dispensatio super impedimentis occultis pro solo foro interno, consequenter scriptura ad eam necessaria non sit, nihilominus melius, securius, decentius, mentique Pontificiæ conformius est, ut nonnisi in scriptis debita cum forma fiat, et expediatur. Primam partem, quod scriptura necessaria non sit, tenet Pont. de *Matrim.* lib. VIII, cap. xv; Sanchez, lib. VIII, disp. 29; Anchar. in *Clem. Dudum de sepult.* n. 39, et ibi Imola, n. 51; Abbas, in c. *Nostre de Rescript.* n. 11, cum communiori tam theologorum, quam canonistarum docentium, scripturam non requiri ad valorem, sed tantum ad probationem dispensationis etiam apostolicæ arg. cit. *Clem. Dudum de sepult.* ibi: « Universa privilegia, gratias, vel indulgentias verbo seu scripto, seu quacunque forma. » Accedit praxis et consuetudo plurium curiarum episcopaliū, qua constat, præcise oretenus peti subinde, et concedi ab episcopo, vel ejus vicario generali dispensationem pro foro interno. Consuetudo autem legitime præscripta tribuit jurisdictionem per vulgaria jam sæpe allegata.

521. *Contrarium est securius.* — Secunda pars inde probatur, quia multi et præcipue practici ut Corrad. in *Praxi dispensat.* lib. I, cap. vi, n. 1; Justis, de *Dispensat.* lib. I, cap. III, a n. 31; Paris, de *Resign.* lib. III, q. 6, n. 3, et alii apud ipsos docent, quamlibet dispensationem Pontificiam esse invalidam, vel non suffragari, nisi in litteris expediatur. Ratio est, tum quia ita habet notorius stylus curiæ romanæ, qui facit jus novum, et derogat iuri communi priori arg. c. *Ex litteris. de Constit. et c. Quam gravi. de Crim. falsi.* Tum quia quidquid sit de jure communi, ita expresse habet bina regula cancellariæ 27 et 52, quarum

Prior ita sonat.

522. *Probat ex regulis cancellariæ.* — « Cum ante confectionem litterarum gratia apostolica sit informis, voluit, statuit, et ordinavit idem dominus noster, quod iudices in Romana curia et extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. cardinales, causarum palatii apostolici auditores, vel

quicumque alii non juxta supplicationem signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta curia duntaxat sint commissiones justitiam concernentes per placet, vel per S. R. Ecclesiæ vicecancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta litterarum super eisdem impetrationibus, et concessionibus confectarum tenores, et formas judicare debeant. Decernens irritum, etc. »

Altera vero.

« Cum concessionem super gratiis dispensationum quarumcunque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per regulas cancellariæ apostolicæ sint provide limitatæ, licet aliquando in petitionibus super hujusmodi concessionibus oblatis, multa sint petita, ne quis talium concessionum prætextu, id dispensative tenere, aut facere præsumat, ad quod concessionem hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N. quod nulla talis dispensatio cuipiam in judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea litteræ apostolicæ sint confectæ. » Ubi notanda verba, neque in judicio, neque extra; ex quibus Corrad. loc. cit. n. 11, bene infert dispensationem litteris non expeditam, neque in foro interno suffragari, et doctores contrarium tenentes vel non scivisse vel non reflexisse ad hanc cancellariæ regulam, et stylum curiæ.

523. *Solvitur obiectio.* — Nec dicas, hæc procedere de dispensationibus apostolicis, non autem episcopaliibus. Nam contra est, tam quia episcopus super impedimentis occultis pro foro interno ex sola tacita licentia Papæ dispensat per dicta supra a n. 15, non censetur autem Papa tacite concedere episcopo licentiam dispensandi tali modo, quali ipse nunquam dispensat, et qualem in curia sua reprobatur. Tum quia curia romana tanquam mater et magistra ab omnibus est sequenda. Gonzalez, Reg. VIII, Gloss. VI, n. 211; Speculator, de *Appellat.* § de *Officio quoque*, n. 14; Gigas, de *Penson.* q. 58, ante n. 3. Tum quia in aliis, si dispensatio censetur invalida apud curiam Romanam, censetur quoque talis apud curiam episcopalem; ergo etiam in isto puncto. Accedit ratio supra n. 511 allegata, ac etiam illa, ob quam Papa vi regulæ cancellariæ invalidas declaravit omnes dispensationes sine expeditione litterarum factas.

524. Et quamvis contra hæc adhuc militare videatur argumentum a consuetudine desumptum, nihilominus, quia locorum consuetudines sæpe non habent requisita ad hoc, ut derogent legi, et tribuant jurisdictionem per dicta tit. IV, de *Consuetud.* omnino suadet, ut dispensatio etiam pro foro interno, nonnisi scriptis, in debito curiæ conformi stylo, clausulis debitis munita forma, idque ad præcedentem supplicationem in scriptis debite formatam et oblatam fiat, præsertim quia agitur de valore sacramenti, qui a valore dispensationis dependet.

525. *Ante dispensationem attendere debet episcopus, an adsint requisitæ conditiones.* — Resp. II. Si pro foro interno dispensare vult episcopus, debet prius bene considerare, an adsint conditiones supra n. 508, recensitæ, requisitæ ad hoc, ut dispensare pro solo foro interno valeat. Ratio patet, quia alias sacramentum periculo nullitatis exponeretur.

526. *Litteræ dispensationis episcopalis commodissime inscribuntur et committuntur confessario ex approbatis in genere.* — Resp. III. Forma dispensandi seu potius expediendi litteras super impedimento occulto pro foro interno, optima ac securissima est, quæ fit conformiter stylo sacræ pœnitentiariæ, ex quo illud specialiter observandum, ut, cum occultus delinquens ad episcopum, vel ejus curiam in persona non veniat, nec alibi quam in confessionali se prodat, informationem de precum veritate (quæ necessario præcedere debet) aliter quam per confessarium capere non valeat episcopus, consequenter non ipsemet dispensare, sed mandatum seu commissionem dispensandi, confessario alicui dare debeat, ut dispense, si preces veritate niti prius repererit, juxta sequentem formulam conformem stylo sacræ pœnitentiariæ.

527. *Formula dispensationis episcopalis pro foro interno.*

Formula dispensationis episcopalis super impedimento occulto pro solo foro interno.

« Nos NN. Dei, et apostolicæ Sedis gratia episcopus N. etc. Discreto viro confessori ex approbatis in nostra diocesi per latricem præsentium, ad infra scripta specialiter eligendo. Ex parte latricis præsentium oblata nobis petitio continebat (exponuntur preces, prout fuere propositæ v. g.) quod ipsa nos-

træ diocesis existens ignara impedimenti, in facie Ecclesiæ, et præmissis denuntiatiombus, bona fide contraxerit matrimonium cum viro, a cujus fratre prius carnaliter erat cognita. Cum autem, sicuti eadem petitio subjungebat, separari sine scandalo non possint; et dispensatio a sacra pœnitentiaria sine periculo incontinentiæ, vel gravis diffamationis expectari non valeat, cupit a præmissis absolvi, et secum desuper dispensari. Quare supplicavit nobis humiliter, quatenus de opportuno remedio providere dignemur. Nos itaque supplicationibus hujusmodi inclinati discretioni tuæ committimus, quatenus, si ita est dictam latricem, audita prius sacramentali confessione, ac sublata occasione si qua adhuc extat, amplius cum dicto viro, vel sorore peccandi, a quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa incurrit, incestu: et excessibus hujusmodi absolvas hæc vice, in forma Ecclesiæ consueta, injuncta inde ei pro libidinis excessu salutari pœnitentia, ac sacramentali confessione peccatorum suorum (determinetur ad arbitrium episcopi pro diversitate delicti, et personarum, quoties fieri debeat v. g.) singulis mensibus, vel quovis bimestri ad minimum semel peragenda. Demum, dummodo impedimentum sit occultum, et matrimonium præmissis denuntiatiombus in facie Ecclesiæ bona fide contractum, ac separatio sine scandalo fieri non possit, simulque, donec dispensatio in sacra pœnitentiaria procuretur, et adveniat periculum incontinentiæ, vel gravis diffamationis timendum tibi visum fuerit, aliudve canonicum non obstet impedimentum, cum eadem latrice, et dicto viro de nullitate prioris consensus certiorato, sed ita caute ut latricis delictum nusquam detegatur quod matrimonium cum eodem, et uterque inter se de novo secrete, ad vitanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere et in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses in foro conscientie, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, et non aliter, neque ullo alio modo. Ita quod hujusmodi absolutio, et dispensatio latori in foro judiciali nullatenus suffragentur, nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, et præsentibus laniatis, quas sub excommunicatione latæ sententiæ laniare teneris, ita ut nullum earum exemplum extet, neque

eas latrici restituas, quod si restitueris, nil ei præsentes litteræ suffragentur. Datum N. die mensis... anno... »

528. Hæ litteræ ad imitationem sacræ pœnitentiariæ claudi et inscribi possunt vel doctori in theologia, vel jure canonico, vel confessario alicui ex approbatis in diœcesi, juxta arbitrium episcopi; qui utrique pro consolatione pœnitentium facit, si, uti potest, suæ dispensationis litteras simpliciter inscribit: « Discreto viro confessario ex approbatis in nostra diœcesi per latricem præsensentium ad infra scripta specialiter eligendo; » cum enim doctores confessarii, qui litteras exequi possent, ac vellet, rari sint, et difficulter haberi possint, bonum utique erit, si per inscriptionem cuius confessario approbato pro libitu pœnitentis eligendo detur commissio dispensandi; prout etiam, si petatur, facere solet sacra pœnitentiaria per dicta n. 427.

529. *Ille, ad quem in specie dirigitur litteræ, non potest illas exequi, nisi a pœnitente specialiter eligatur.* — Porro, licet litteræ dispensationis episcopalis pro solo foro conscientie alicui comperto, vel involucre incluse, et clausæ ad illud v. g. confessarium, vel parochum, qui scribit pro pœnitente, et dispensationem procurat, dirigi possint, et debeant (cum pœnitens utpote occultus existens ignoratur) tamen talis confessarius eas aperire, et exequi non potest, nisi ad id a pœnitente specialiter eligatur; unde debet illas clausulas consignare oratrici vel oratori et eundem instruere, esse modo in potestate, et arbitrio illius, qualem confessarium pro executione eligere velit.

530. *Executor dispensationis episcopalis pro foro interno quis esse possit?* — Quæritur VIII. Quis possit esse executor litterarum episcopalis dispensationis pro solo foro interno? Et quomodo in praxi illas exequi debeat? Resp. I. Desumendum esse ex inscriptione litterarum, quis possit esse executor. Si enim inscriptio fit ad doctorem in theologia, vel jure canonico; nullus alius quam verus talis doctor ad exequendum eligi potest per dicta supra a n. 441. Si vero inscribuntur confessario ex approbatis in genere, potest quivis confessarius in diœcesi approbatus illas exequi, si ab oratore, vel oratrice ad id specialiter eligatur, juxta dicta superius.

531. *Et quomodo in praxi exequi debeat?*

— Resp. II. Executor litterarum dispensationis episcopalis pro solo foro interno, debet eodem modo, quo executor litterarum dispensationis a sacra pœnitentiaria emanatarum, in executione se habere, et easdem clausulas observare juxta dicta a n. 441. Debet insuper observare clausulas in litteris dispensationis episcopalis specialiter apponi solitas, præsertim circa quatuor n. 508, positas conditiones. Cum enim una illarum deficiente episcopus dispensare non valeat, litteræ executioni mandari minime possunt, si reperiatur, unam illarum non adesse, excepto casu extraordinario, quoad conditionem de matrimonio jam contracto. (ADNOTATIO CV.)

§ XI.

DE POTESTATE DISPENSANDI SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII COMPETENTE REGULARIBUS VI PRIVILEGIORUM.

532. *De privilegiis. Remissive.* — Cum, uti ex Rubricæ § palet, in præsentem indagare intendamus, an? et qualia habeant religiosi privilegia dispensandi super impedimentis matrimonii, necesse est, breviter saltem præmittere aliqua de revocatione privilegiorum, ut cognosci valeat, an privilegia, quæ ad propositum in præsentem adducentur, sint revocata, vel non. Exactionem autem hujus, sicut et totius materie de privilegiis doctrinam damus lib. V, tit. XXXIII, de *Privilegiis et Excessibus Privileg.*

533. *Duæ sunt generales revocationes privilegiorum. Una est, qua pontifices revocarunt omnia vivæ vocis oracula.* — Notandum itaque primo, duas celeberrimas, et generales extare revocationes privilegiorum, quarum una facta est per Gregorium XV, in constitutione romanus pontifex in specula militantis Ecclesiæ: quæ inter illius constitutiones est 27. apud Cherub. tom. III, et Urbanum VIII. Alias felicitis recordationis, quæ est 121, inter constitutiones dicti Papæ apud Cherub.

534. *Altera facta est a concilio Tridentino sess. 25, cap. xxii, de Regul.* ubi regularium privilegia, decretis dictæ sessionis adversantia, fuere revocata illis verbis: « Hæc omnia et singula in superioribus decretis contenta observari, sancta synodus præcipit in omnibus cœnobiis, ac monasteriis, colle-

giis, ac domibus quorumcumque monachorum, ac regularium, necnon quarumcumque sanctimonialium virginum, ac viduarum, etiamsi illæ sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitanæ vivant, et quocumque nomine appellentur, sub quacumque regula, vel constitutionibus, et sub custodia, vel gubernatione, vel quavis subjectione, aut annexione, vel dependentia cujuscunque ordinis, mendicantium, vel non mendicantium, vel aliorum regularium monachorum, aut canonicorum quorumcumque non obstantibus eorum omnium, et singulorum privilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon constitutionibus, et regulis etiam juratis, atque majori intelligenda ponemus duo specialia etiam immemorabilibus vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus, etc. » Pro quorum majori intelligentia ponemus duo specialia quæsitæ.

535. *Per pontifices omnia et sola vivæ vocis oracula sunt revocata.* — Quæritur igitur I. Quænam regularium privilegia revocata sint a summis pontificibus Gregorio XV, et Urbano VIII, per allegatas bullas. Quænam item per concilium Tridentinum? Resp. I. per præfatos pontifices omnia et sola privilegia vivæ vocis oracula, quibuscumque sive sæcularibus, sive regularibus concessa, fuere revocata. Patet aperte ex clarissimo præfatarum Bullarum textu, uti videre est in ipsis bullis citatis, quas per extensum habet Hyacinthus Donatus, tom. I, tract. 16, q. 1, et Cherub., loc. cit.

536. *Non item privilegiata bullata.* — Infertur, non obstantibus præfatis revocationibus, valere adhuc omnia et singula privilegia per bullas concessa, exceptis illis, quæ revocata sunt a concil. Trident. juxta dicenda num. seq.

537. *Quænam sint revocata a concilio Tridentino.* — Resp. II. Certum est, per concilium Tridentinum revocata esse regularium privilegia etiam bullata, quæ adversantur decretis ejusdem positus in sessione 25, de Regularibus. Unanimis, patetque clare ex textu supra n. 534. allegato; qui, si non de omnibus concilio præfato contrariis, saltem de contrariis sess. 25, de Regularibus necessario intelligi debet.

Num autem per allegatam revocationis clausulam generalem revocata sint etiam omnia privilegia præcedentibus sessionibus,

et earum decretis contraria, dicemus infra lib. V, tit. XXXIII, de *Privilegiis, et excessibus privilegiatorum.*

538. *Regulares mendicantes in privilegiis possunt dispensare super quovis impedimento voti non reservati.* — Quæritur II. An? et qualia habeant regulares præsertim mendicantes privilegia dispensandi super impedimentis matrimonii? Resp. I. Possunt regulares mendicantes super quovis impedimento matrimonium impedimento voti dispensare, quando votum non est unum ex quinque specialiter reservatis Papæ; caret controversia; patetque ex dictis lib. III, tit. XXXIV, n. 39. ubi dictum et probatum est, posse regulares mendicantes dispensare in quovis voto, specialiter non reservato summo pontifici. Vide ibidem, ne superflua fiat repetitio.

539. *Recensentur talia vota.* — Pro brevi tamen recapitulatione hic infertur, posse regulares dispensare super impedimento voti I. Suscipiendi ordinem. II. Castitatis non perpetuæ. III. Etiam perpetuæ sed pœnalis. IV. Vei conditionati. V. Vel ex metu emissi. VI. Vel urgente necessitate. VII. Non nubendi, etc., de quibus plura vide cit., lib. III, tit. XXXIV.

540. *Regulares non habent privilegium dispensandi super omnibus impedimentis, super quibus jure ordinario possunt episcopi.* — Resp. II. Quamvis non desint docentes, posse regulares mendicantes dispensare super quovis tam dirimente, quam impediendo matrimonii impedimento, super quo juxta dicta § 1, n. 15, et § 2, per totum, de jure ordinario dispensare potest episcopus, tamen hæc doctrina omnino periculosa, et nullatenus practicanda, utpote omnino improbabili videtur, ut bene etiam advertit Gobath, in *Theolog. experiment.*, tract. 9, n. 721. Ratio est; quia hæc potestas mendicantibus nec ex jure, nec ex privilegio, consequenter nullo modo competit. Non ex jure, ut omnes fatentur. Non ex privilegio, quia nullum allegari potest; prout etiam adversarii nullum allegant.

541. Nec valet argumentum, quo uti videntur adversarii: possunt mendicantes dispensare super quovis voto, super quo jure ordinario possunt episcopi per dicta lib. III, tit. XXXIV, num. 39. ergo etiam possunt dispensare super impedimentis, super quibus jure ordinario possunt episcopi. Negatur enim consequentia et paritas. Dis-